

TRIBUNAL APPELLATIONIS VICARIATUS URBIS

NULLITATIS MATRIMONII EX CAPITE IMPOTENTIAE MULIERIS

N. N. (Romana)

SENTENTIA

Coram R. P. D. SEVERINO ALVAREZ-MENÉNDEZ

Paulo Pp. VI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno secundo, die 31 octobris mensis 1964, infrascripti RR. PP. DD. Eligius Lauro, Curiae Vice Officialis et Severinus Alvarez-Menéndez, O. P., in Romana dioecisana Curia iudex prosynodalis, qui et Ponens, pro tribunali sedentes in Aula Vicariatus Urbis, una cum R. P. D. Marcello Magliocchetti, Tribunalis secundae instantiae Officiali, Collegii Praeside:

Cognita causa nullitatis matrimonii inter dominam Sarah Arenero, actricem in causa, Arenero, die 3 aprilis mensis 1936 natam viri domicilium utpote ab eodem legitime non separatam, retinentem, in iudicio legitime repraesentatam per Procuratorem et Advocatum A. M. ei ex officio datum, et dominum Imbenedictum, reum conventum, Roces die 8 septembris mensis 1932 natum atque ibidem domicilium habentem; interveniente ac disceptante in causa Rev.mo D.no Mathaeo Paparo, Vinculi Defensore ad hunc casum deputato, hanc in altero iurisdictionis gradu definitivam tulerunt sententiam:

I. FACTI SPECIES

1. Bacchanalibus festis anni 1954 ad finem vertentibus partes in causa notae ad invicem evadebant atque exinde, mutuo sibi cum placuissent, praematrimoniales, clam tamen parentibus, colere incepterunt quasque vero, militari servitio, semel a viro emenso, propriis parentibus eadem officialiter communicarunt. Sex exinde pertansactis annis, aetatem viginti et octo atque viginti et quattuor annorum computantes, die 5 mensis iunii 1960 in romana paroeciali ecclesia X. christianas contrahebant nuptias.

Neque bonis opitulantibus auspiciis, eo quod cum nuptialis itineris in Augustam Taurinorum et Brixiam initio, initium quoque coepissent matrimoniales discordiae, viro, pro hoc itinere absolvendo, pecuniae deficiente